

atque adeo quod illud donum esset ordinis naturalis, licet indebitum naturæ, alterius loci est disputare.

XI. Tertius status est naturæ reparatæ per gratiam quantum ad conversionem ad Deum finem supernaturalem, non tamen cum dono originalis justitiæ, sicut modo fit in justificatis.

XII. Quartus status est naturæ lapsæ in peccatum sine gratia, et sine justitia originali. Et omitto illum statum quem Cajetanus ponit, scilicet ut observetur rectitudo in potentiis animæ sine elevatione ad finem supernaturalem; hic enim status vel est puræ naturæ, vel concidit cum dono originalis justitiæ ordinis naturalis, si forte datur.

XIII. Solum adverte id quod communiter dicitur non differre statum puræ naturæ secundum se, et statum hominis lapsi, sed solum secundum quamdam connotationem, sicut homo nudus, et nudatus; esse enim nudatum connotat fuisse ante vestitum, eo quod in pura natura est eadem contrarietas appetitus ad rationem, sicut in peccatore. Hoc inquam dictum habet verum in aliquo, scilicet quantum ad virtutem subjiciendi vires inferiores superiori, in hoc enim parificantur. Cæterum quantum ad conversionem ad finem infirmior est peccator, quam pura natura, quia per peccatum est homo conversus ad finem pravum, et aversus a Deo, unde magis propendet ad malum ex parte finis pravi, et majus impedimentum præstat ad bonum propter efficaciam illius finis, quam in statu puræ naturæ, in qua nullum consideratur peccatum, nec finis pravus.

XIV. Quantum ad quartum notanda sunt diversa munera gratiæ quæ in hac materia passim occurrunt; dicitur enim gratia sanans, gratia elevans, sanctificans, auxilians, vel movens, gratia specialis,

vel generalis, ordinis naturalis, et supernaturalis. Hæc autem sic explicantur. Nam licet homo lapsus in peccatum de facto non sanetur nisi per gratiam sanctificantem, quæ etiam elevat illum ad ordinem supernaturalem, tamen ista omnia diversam connotationem, et respectum importat: etenim homo non solum elevatur per gratiam sanctificantem, sed etiam per auxilia quibus disponitur ad gratiam elevatur ad operandum opera supernaturalia, licet nondum elevetur ad participationem divinæ naturæ, quod fit per ipsam gratiam sanctificantem. Unde non omnis gratia elevans, est gratia sanctificans, sed illa dicitur gratia sanctificans, quæ formaliter reddit hominem consortem divinæ naturæ, nec inhæret in potentiis, sed in essentia animæ, et est radix eorum quæ sunt in potentiis. Gratia autem sanans dicitur eadem gratia, quatenus ratione illius ordinantur, et rectificantur affectus; sunt enim affectus in anima quasi humores in corpore, ex quorum temperamento consurgit sanitas. Itaque sanitas animæ pertinet ad ordinationem affectuum, et rectam subjectionem ejus quod est inferius ad suum superius. Sanctificatio vero pertinet ad purgationem a macula, et participationem sanctitatis divinæ, elevatio vero etiam in ordine ad elevandos actus supernaturalis ordinis invenitur.

XV. Denique gratia auxilians, vel movens est ipse divinus influxus, qui imprimitur in voluntate, aut intellectu antecedenter ad operationem, vel postea concomitatur ipsum actum, estque concursus simultaneus, non autem movens, sive auxilians, auxilium enim præbetur causæ, non effectui, et uterque datur per modum transeuntis; et hoc auxilium potest esse vel supernaturale, vel naturale, generale, vel

speciale, internum, vel externum; supernaturale dicitur ratione ordinis, quia superat ordinem naturæ; naturale, quod est ejusdem ordinis cum natura. Generale dicitur quod est debitum, et ordinarium alicui causæ: speciale vero quod non est debitum, sed gratuito datur, licet non sit supra ordinem naturæ dummodo sit supra debitum, unde fit quod generale, et speciale dicuntur comparative, omne enim auxilium supernaturale ex ipso ordine suo est speciale, id est, indebitum naturæ, sed rursus in ipso ordine supernaturali dantur quædam auxilia generalia, id est, debita, et connaturalia tali ordini, non naturæ, et quædam specialia, quæ adhuc intra illum ordinem sunt extraordinaria, et indebita; et similiter in ordine naturali, quædam dantur generalia, scilicet ad omnem actum naturæ requisita, quædam specialia, quasi beneficia extraordinaria naturæ, et indebita, licet non elevantia ad ordinem supernaturalem.

XVI. Ultimo distinguuntur auxilium internum et externum, quia internum est, quod Deus operatur intra potentiam, et pertinet ad subministrationem Spiritus, et virtutis, ut loquitur Augustinus libro de gratia Christi, cap. II. Unde etiam illud auxilium, quo intellectus proponit voluntati bonum, licet sit internum comparatione ad exteriora sensibilia, tamen respectu voluntatis est externum, quia intellectus est extra voluntatem, et sic Augustinus ibidem capite XXIV, dicit contra Pelagium, ut fateatur operari Deum in cordibus hominum interna, et occulta potestate non solum veras revelationes (quod pertinet ad intellectum) sed etiam bonas voluntates. Externum autem auxilium dicitur quidquid extra potentiam datur a Deo, conducens, et juvans ad movendum illam sive tollendo impedi-

menta, sive proponendo bona, sive protegendo exterius, sive occasiones et circumstantias temporis observando.

ARTICULUS II.

Utrum ad cognoscendas virtutes naturales, speculativas, et practicas sit necessaria aliqua gratia?

I. Loquimur de veritatibus naturalibus, quia ea quæ supernaturalia sunt sequenti disputationi reservamus, et licet istæ veritates naturales unico verbo possent definiri ex D. Thoma hic articulo primo: « Quod sunt illa in quarum notitiam potest homo per sensibilia devenire, vel quæ ex primis principiis naturalibus possunt deduci, » ut docet in II, distinct. XXVIII, quæst. I, art. V, tamen quia nomine veritatum naturalium videtur comprehendi omne illud quod supernaturalis ordinis non est, multi etiam inter veritates naturales numerant ea, quæ pure possibile sunt, dummodo sint naturalis ordinis, et substantias spirituales, et alia similia, quæ tamen extra objectum nostri intellectus sunt. Quare a naturalibus veritatibus multa removenda sunt, non solum spiritualia, ut substantiæ separata, cogitationes cordium, etc. sed etiam sensibilia quædam quæ naturaliter latent homines propter impedimentum physicum quod habent ne objiciantur sensibus, sicut ea quæ sunt intra orbem cælestes, aut quæ sunt intra viscera terræ, vel profundum maris, et omnia præterita gesta hominum, de quibus hodie non manet vestigium: hæc enim omnia individualiter cognoscere est homini impossibile, non ex defectu virtutis, si nobis proponerentur, sed ex defectu propositionis, unde dicitur Ecclesiastici I: *Arenam maris, et*

pluviae guttas, et dies sæculi quis enumerabit? Et D. Thomas I part. quæst. xciv, art. III, inter ea quæ naturali studio cognosci non possunt numerat quædam individua, verbi gratia, quot lapides sunt in fluvio, etc. Quare per veritates naturales in præsentia solum intelligimus ea quorum experientia per sensus haberi potest, vel ex principiis naturalibus deduci, et de istis est quæstio, an sine speciali gratia possint cognosci, intelligendo per specialem gratiam non supernaturalis ordinis, sed beneficium indebitum naturæ.

II. In hac difficultate ex diverso motivo processit controversia inter antiquos, et apud modernos: apud antiquos enim tota difficultas versabatur circa sufficientiam, vel insufficientiam virium intellectus ad intelligendas veritates naturales, et omissis hæreticis, qui dixerunt non posse aliquam veritatem cognoscere, sed omnem nostram scientiam esse errorem, quia procedit de corde malo, et non sanato per gratiam, ut de Luthero refert Castro verbo Scientia, quæ hæresis vel ipso experimento reprobatur; nam si omne quod agimus est error; ergo et omne quod Lutherus dicit, est error, et mendacium, et consequenter mendacium est non dari veram scientiam. Hoc inquam omissis quidam ex antiquis dixerunt non sufficere lumen intellectus ad intelligendum aliquod verum, sed ulterius requiri aliquod lumen superadditum, sicut ad quamcumque visionem requiritur lumen solis. Quam opinionem suppresso nomine refert S. Thomas in II, distinctione xxviii citata Alii per aliud extremum dixerunt lumen nostri intellectus sufficere ad omne verum non supernaturale intelligendum. Ita Cajetanus hic articulo primo. Ejus sensum postea videbimus. Alii dixerunt aliquas veritates natu-

rales esse ita difficiles quod sine auxilio gratiæ non possunt attingi, quæ opinio specialiter circa veritates divinas refertur a D. Thoma I contra gentiles, cap. XII. Alii denique dicunt omnes veritates divisive posse sine speciali auxilio intelligi, non tamen collective.

III. At vero pater Vazquez hic disp. CLXXXVIII, cap. II, ex alio motivo longe diverso affirmat ad cognitionem cujuscumque veri etiam speculativi requiri gratiam specialem distinctam a dono creationis, et in ejus sententia referenda non ita distincte procedunt auctores, qui illum impugnant, sed fere confundunt illam cum prima sententia relata, quæ tamen longe diversa est: non enim ex defectu virium voluntatis, vel intellectus, sive luminis requirit Vazquez specialem hanc gratiam, sed ratione indifferentiæ, et contingentiæ, quam habet potentia, ut excitetur, et moveatur ad hoc objectum, potiusquam illud, unde potest Deus salvo dono creationis excitare intellectum ad hanc veritatem, vel illam omittere, et ad aliam movere, vel permittere errorem. Quare quod determinate moveat ad istam est gratuitum beneficium Dei, non habens per se connexionem, et debitum cum dono creationis. Ergo ex vi naturæ est indebita talis motio, et consequenter specialis gratia; et similiter post excitationem ad hanc veritatem, quod Deus auferat impedimenta ad prosequendam ejus cognitionem, et ad hoc disponat causas naturales, ut talis veritas occurrat, et sine errore attingatur, specialis Dei providentia, et protectio est non descendens ex vi primæ creationis. Addit tamen Vazquez differentiam inter veritates pure speculativas, et practicas, quæ ultra cognitionem rerum agibilem habent movere affectum ad bonum, quod pro veritatibus spe-

culativis, etsi sit necessaria specialis gratia Dei, illa tamen non est per Christum, quia Christus non est mortuus pro nobis ut bene intelligeremus speculative, et scientias disceremus, sed ut bene viveremus: at pro practiceis veritatibus requiritur gratia specialis per Christum, eo quod ordinatur ad bene vivendum illa cognitio practica, quæ est affectiva, et non sistit in sola cognitione moralium.

IV. Dico primo: Non indiget homo speciali gratia præter concursum generalem ad intelligendum aliquas veritates speculativas, neque ex defectu luminis, neque ratione indifferentiæ: et casu quo indigeret gratia speciali, illa esset per Christum. In hac conclusione directe contradicimus sententiæ patris Vazquez, et primæ sententiæ supra relatæ. Est tamen expressa S. Thomæ in hoc articulo primo, et in II, distinctione xxviii, citata docet enim: « Non indigere hominem ad quodcumque verum nova illustratione superaddita illustrationi naturali, sed solum auxilio divino, ut intellectus moveatur a Deo ad suum actum, eo quod omnis forma indita rebus habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem: intellectus autem habet aliquam formam, quæ est sufficiens ad quædam intelligibilia, scilicet ipsum lumen intelligibile. »

V. Dices: Ex verbis D. Thomæ solum colligi quod non est necessaria gratia supernaturalis; tum, quia dicit quod: « Non est necessaria nova illustratio superaddita illustrationi naturæ, » quod utique de illustratione excedente naturam intelligitur, atque adeo de supernaturali; tum, quia in solutione ad primum dicit: « Omne verum a quocumque dicitur, esse a Spiritu sancto movente, non vero inhabitante per gratiam

habitualement. » Ergo solum intendit excludere id quod supernaturale est, nam inhabitatio per gratiam pertinet ad ordinem supernaturalem: unde ex ejus verbis solum concluditur quod non est necessarium auxilium supernaturale. Quod vero non sit necessarium speciale auxilium naturalis ordinis ex D. Thoma non deducitur.

VI. Sed contra est, quia D. Thomas in corpore articuli æquiparat dependentiam intellectus, et cujuscumque agentis creati a Deo in duobus, scilicet in quantum ab eo habet formam agendi, et in quantum movetur ab ipso ad agendum; hæc enim sunt ejus verba: « Sic igitur actio intellectus, et cujuscumque entis creati dependet a Deo quantum ad duo, uno modo in quantum ab ipso habet perfectionem, sive formam per quam agit; alio modo in quantum ab ipso movetur ad agendum. » Ergo motio intellectus de qua in præsentia loquitur D. Thomas est generalis, et non specialis. Patet consequentia, quia est motio in qua parificatur intellectus cum cæteris entibus creatis; sed in aliis entibus creatis non est gratia specialis, sed generalis concursus ad actus proportionatos; ergo et ista motio intellectus ad veritates proportionatas est generalis, et non specialis: imo non potest magis exprimi ratio concursus generalis, quam per hoc quod sit communis intellectui, et cæteris entibus creatis. Ergo quando postea D. Thomas dicit: « Quod ad cognoscendum quodcumque verum indiget auxilio divino, ut intellectus moveatur ad suum actum, » loquitur de auxilio generali, quia loquitur de illa motione de qua antea locutus fuerat, scilicet qua movetur intellectus ad agendum cum cæteris entibus creatis; idem est enim motio ad agendum, et motio ad suum actum; ergo solum requirit D. Thomas

ad cognitionem cujuscumque veri illud auxilium, seu concursus, qui est communis ipsi et reliquis agentibus, qui utique est concursus generalis.

VII. Hæc autem sententia est communis inter doctores hujus temporis, et videri possunt doctor Montanos hic quæst. I et II; Lorca disp. II; Granados disp. I; pater Suarez libro I de gratia, cap. I et II, et alii communiter. Fundamentum hujus quantum ad impugnationem primæ sententiæ facile constat ex ipsa ratione D. Thomæ, quia noster intellectus posito lumine naturali, et specie est forma operativa; ergo habet efficaciam respectu alicujus actus determinati operabilis a se; nam si respectu nullius actus habet efficaciam, et proportionem, nullius esset operativa, unde intellectiva potentia esset omnium formarum imperfectissima, cum omnis forma sit operativa alicujus actus ad quem habet proportionem, intellectus autem ad nullum actum haberet proportionem, et vires, quod est absurdissimum, omnis enim efficacia formæ, et activitas illius fundatur in actualitate. Ergo quanto forma fuerit actualior, tanto est efficacior, et activior, intellectus autem est actualior cæteris formis, cum sit magis segregatus a potentialitate; ergo habet aliquam actualitatem respectu objecti proportionati, non minus quam cæteræ formæ. Constat denique aliquas veritates cuicumque lumini esse proportionatas, sicut sunt prima principia: ergo non indigent specialibus viribus, quia solum requiruntur ubi est specialis difficultas, non ubi est nulla.

VIII. Quod vero attinet ad impugnationem Vazquez, ut ejus fundamentum destruat, suppono ex D. Thoma I, part. quæst. XXI, artic. I ad tertium, quod ratio debiti nihil aliud importat quam ordinem exi-

gentiæ, vel necessitatis alicujus ad id quod ordinatur, et quia unumquodque naturaliter ordinatur ad perfectionem sibi proportionatam, judicandum est tunc aliquid esse debitum ex ipsa proprietate naturæ, et consequenter pertinere ad concursus generalem, quando est perfectio ad quam ipsa natura secundum se ordinatur, licet secundum diversitatem naturarum diverso modo inveniatur hoc debitum; nam in aliquibus naturis aliquid necessario et infallibiliter debetur, in aliis contingenter et fallibiliter, in aliquibus debetur ipsi speciei secundum se, licet non in omnibus individuis, sicut in hieme esse pluviam est debitum connaturale, licet non necessario inveniatur in omnibus diebus; et homini connaturalis est generatio, et propagatio, nec ad id indiget speciali concursu, nec tamen reperitur in omnibus individuis: aliquando autem est aliquid ita debitum naturæ, quod etiam in individuis reperitur, sicut in igne calefacere.

IX. Dicimus ergo contra Vazquez, quod etiam naturæ indifferenter operanti, sicut est noster intellectus, et voluntas, aliquid debetur ex ipsa proprietate naturæ, tamquam proportionatum objectum ad quod inclinatur, licet cum aliqua contingencia, et fallibilitate, et est aliquid verum in intellectu, et bonum in voluntate, ad quod sufficit generalis concursus, quia habet sufficientem rationem debiti fundati in ipsa proprietate naturæ, sic indifferentis, et contingentis: et probatur primo ex D. Thoma II contra gentiles, cap. XXVIII, dicente quod: «Hoc ex necessitate alicui est debitum, quod ad ejus perfectionem requiritur, sicut homini est debitum habere manus vel virtutem, quia sine his perfectus esse non potest.» Constat autem quod debitum habendi manus per-

tinet ad beneficium creationis, et ad generalem concursus, quo homo generatur, licet non quandoque posset deficere propter sui contingentiam: ergo etiam debitum habendi virtutem pertinet ad generalem concursus, quia parificatur a D. Thoma cum debito habendi manus, quia utrumque pertinet ad perfectionem proportionatam, et connaturalem, et nomine virtutis intelligit D. Thomas tam moralem acquisitam, quæ attingit bonum, quam intellectualem, quæ attingit verum.

X. Secundo probatur, quia debitum est naturæ intellectuali, ut in sua prima operatione immediate moneatur, et excitetur a Deo, ut docet S. Thomas I part. quæst. CCV, art. III et 1-2, quæst. IX, art. VI, quia sicut est debitum gravi ut moveatur a suo generante quod est Deus, quod etiam Vazquez fatetur disp. CLXXXIX, cap. XIV, imo in eo fundat suam sententiam, quia motus nostræ voluntatis reducitur ad primam cognitionem quæ a solo Deo mittitur; ergo oportet quod illa prima excitatio si est circa aliquid naturale, non sit beneficium speciale a Deo datum, seu gratuitum, et naturæ ipsi indebitum, sed ex vi suæ creationis, quidem movetur in illo primo actu a Deo, sicut a proprio generante: ergo ex vi generationis, et creationis. Rursus, sed in illo primo actu non potest Deus movere ad falsum, vel ad peccatum, alioquin tribueretur Deo, quia est unicus motor, et causa illius actus: ergo ad aliquid verum cognoscendum datur aliquis concursus generalis, et debitus, scilicet ad illud quod per primum actum cognoscitur, et licet posset movere Deus ad hoc, vel illud verum determinate pro sua libertate, tamen cum necessario debeat movere ad aliquid verum, concursus est debitus quantum ad aliquid verum; et

consequenter sufficit concursus generalis, quia hoc ipso quod est debitus quoad specificationem actus, non refert quod non sit determinatus quoad exercitium, et individuum: sicut igni non aliter est debitus concursus generalis, nisi quia debetur illi determinatus concursus quoad specificationem, scilicet ad calefaciendum, quod vero calefaciat ista actione singulari, vel illa, non est omnino determinatus.

XI. Et urgetur amplius argumentum in intellectu habente habitum inclinabilem ad aliquid verum determinatum, verbi gratia, habitum primorum principiorum, et scientiæ, aut etiam habitum opinativum, qui cum possit inclinare ad falsum, non oritur ex speciali gratia Dei, et isti habitus cum habeant determinatam inclinationem ad verum determinatum, etiam est illis debitus determinatus concursus, quia non sunt in indifferentia in qua est potentia intellectus. Ergo saltem post acquisitum habitum non indiget intellectus ad cognoscendum illud verum speciali auxilio propter indifferentiam, quia inclinatio habitus determinata est.

XII. Ultimo probatur, quia certum est intellectum, et voluntatem non obstante indifferentia, et contingencia sua ad aliquem actum, solum exigere concursus generalem, scilicet ad actum peccati, vel falsitatis, ad hoc enim non movet Deus speciali auxilio; ergo si ad omne verum, et ad omne bonum indiget speciali auxilio, sequitur quod intellectus, et voluntas cum generali concursu solum valeant ad falsum, et ad peccatum, quod est omnino absurdum, et videtur damnatum a Pio V, et Gregorio XIII, inter articulos Michaelis Baii in propositione XXVIII, ubi dicebat: «Liberum arbitrium sine gratia, et Dei adjutorio non nisi ad peccandum valere.»